

quorum contemplatione nullius expleri potest animus, naturae constantiam videre cupientis.

Extremusque adeo duplici de cardine vertex

Dicitur esse polus.

Hunc circum ἀρκτοι duae feruntur, numquam occidentes,

Quas nostri septem soliti vocitare Triones.

Ex his altera apud Grajos Cynosura vocatur,

Altera dicitur esse Helice;

cujus quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus.

Paribusque stellis similiter distinctis eundem coeli verticem lustrat parva Cynosura.

Hac fidunt duce nocturna Phaenices in alto:

Sed prior illa magis stellis distincta refulget,

Et late prima confestim a nocte videtur.

Haec vero parva est: sed nautis usus in haec est.

Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.

Cap. XLII. Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,

Torvu'Draco serpit, subter supraque revolvens

Sese, conficiensque sinus e corpore flexos.

Ejus quum totius praeclara est species, tum in primis suspicienda est figura capitis atque ardor oculorum.

Huic non una modo caput ornans stella relucet,

Verum tempora sunt duplici fulgore notata,

E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,

Atque uno mentum radianti sidere lucet:

Obstipumque caput, tereti cervice reflexum,

Obtutum in cauda majoris figere dicas.

Et reliquum quidem corpus Draconis totis noctibus cernimus:

Hoc caput hinc paullum sese subit aequore condens,

Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una.

Id autem caput